



**Tractatvs De Præventionē Ivdiciali [!], Sev De
Contentione Ivrisdictionvm**

Tonduti, Pierre François de

Lvgdvni, M.DC.LXXIII.

Capvt V. Quod consummatis executionibus cesset præuentio, nouóque
iudicio agendum sit. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98370](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98370)

si se. vel priuat. De iure enim nuntio seu cursori creditur dicenti se pecunias arretrasse, & debitorem, cui facta fuit intimatio, acceptasse sequestrum: vt decisum fuit in Rota apud Put. *dec. 187. lib. 3.*

Et de hac materia relationis nuntiorum seu cursorum, plurima tradit Dec. in *c. cum parati. n. 12. 13. & 14. de appell. Tiraq. retractu consanguinitatis §. 8. gl. 9. per tot.* Afinius, in *praxi §. 9. per tot.* Alciat. de *praf. reg. 3. praf. 14.* Menoch. de *arbitr. cas. 112.*

Dictaque relatio, si fiat in eadem Ciuitate in qua Index moratur, debet remitti apud acta notarij scribentis in causa, potest enim fieri per ipsummet cursorem, & apparitorem relatio citationis, vel executionis in dorso Cartelli vel litterarum.

Eademque ratione potest executor, qui litteras executioni mandat extra ciuitatem, scribere relationem in dorso Cartelli, vt postea remittatur apud acta notarij scribentis in causa; atque ita quotidie obseruatur; sicuti & cursor qui fecit executionem in Comitatu auctoritate curiae sacri Palatii, potest, si velit, suam relationem facere apud acta Graffarij, qui scribit in causa.

Maxima tamen fuit controuersia excitata inter notarios Comitatus Venasilini, vtrum relationes pignorationum, citationum, & executionum fieri possint apud primum notarium Comitatus requirendum, an vero teneantur executores relationem facere in manibus Graffarij curiae ordinariae.

In hac quaestione ego alias anno 1631. scripsi pro Graffariis aduersus Notarios curiae ordinariae, sed non agebatur de petitorio, sustinui tamen in possessorio Graffarios esse fundatos aduersus curiam ordinariam de qua agebatur, quia non constabat de aliqua possessione, seu quasi priuatiua aduersus notarios Principis, sed tantum de possessione cumulatiua, neque existimabam ex sola iuris assistentia concedendam esse manutentionem Graffario curiae ordinariae nisi cumulatiue, & quia iuris assistentia non operatur manutentionem alio existente in possessione: Ludouil. *dec. 372. n. 4. vers. item assistentia.* Rot. *dec. 685. sub n. 2. vers. & praeterea part. 1. recent.* fusc. Cane. de *Manuten. p. 3. c. 14. n. 19. & seq.*

Neque verificatur in casu proposito, quod opponebatur, tractari de Iurisdictionalibus, & notarios ordinarios à Principe deputatos in locis in quibus summi Pontifices habent iurisdictionem immediatam, (quia videlicet nullus adest vasallus, seu feudatarius Principis exercens iurisdictionem) manutendos esse, & cum ipsi sint officarij à Principe in illa Curia deputati, Princeps autem non soleat litigare spoliatus, iuxta tradita per Cane. *lib. 3. var. resol. c. 14. n. 42.*

Quia omissis aliis responsionibus, hic non erat controuersia inter Principem, & notarios, sed inter ipsosmet notarios, qui omnes officium habent à Principe, & ita distinguit Rota in *Rauennaten. notariatus. dec. 752. n. 5. p. 2. recentior.*

Et sic non erat verum contendere de iurisdictione, unde fundamentum petitiui ex assistentia iuris communis, non erat tutum, vt dicit Marefcot. *lib. 1. variar. resol. c. 11. n. 13.* Et extra materiam iurisdictionis non solet Rota dare manutentionem ex sola assistentia iuris communis, sed debet probari possessio per illum, qui petit se manuteneri, vt per Seraph. *dec. 1449. n. 3.* Beltramin. ad *d. dec. 312. n. 4. vers. Extra vero materiam.*

Ceterum quoad petitorium multa hinc inde alias pro Graffariis curiarum ordinariarum, & contra ipsos vicissim plurima allegata fuisse non ignoro, quorum decisionem asserere non intendo, sed vbique consue-

Sanlegerius de *Præuent. Iudic.*

tudinem obseruandam esse existimo; licet de rigore iuris videretur dicendum, tales relationes recipi posse per quemlibet notarium à Principe deputatum, & quia Graffarij in certa iurisdictione deputatio est actus iurisdictionis, vt per Doctores in *c. cum P. Tabbellio. de fin. instr. 7.* & sic deputatio notarij certae Curiae, non videtur trahenda ad acta dependentia ab alia Curia, sed restringenda ad acta iudicialia illius Curiae, in qua sunt deputati, vt per Cane. *lib. 2. c. 1. de iurisd. n. 60. & 61. in nou.* Nec possunt notarij curiae ordinariae extra suam curiam acta recipere nisi creati fuerint auctoritate Principis. Specul. de *Instrum. editione. §. restat. n. 25.* vbi dicit notarios posse tantum suo officio vti intra metas iurisdictionis illorum, qui ipsos constituerunt, Grat. *discept. forens. c. 167. n. 55.*

Præsertim quia tales relationes non sunt acta iudicialia, nisi quatenus postea remittuntur, & producuntur apud notarium causae cum relationes possint, & soleant plerumque fieri in dorso cartellorum, vel litterarum executorialium, & scribi ac subscribi ab ipsomet cursore, vel à primo Presbytero, vel Clerico requisito, & signat tantum robur à productione, seu remissione facta apud notarium causae, vt per Ant. Nig. *locis supra cit. num. 1.* Sed tamen, vt mox dictum fuit, consuetudo locorum obseruari debet, donec aliter fuerit prouisum.

CAPUT V.

ARGUMENTVM.

Quod consummatis executoribus cesset præuentio; nouoque iudicio agendum sit. Quæ requirantur vt executiones dicantur consummatae. Et an cesset præuentio si quis statim turbetur post missionem in possessionem. Quid si pendente tempore quo debitor admittitur per statutum, vel consuetudinem ad reuocandum pignus. In factis successibus non esse consummatam executionem, nec cessare præuentionem, etsi post longi temporis spatium superueniat turbatio. Coram quo Iudice agendum sit in executionem sententiae, si agatur actione in factum, vel iudicis officio. Perfecta missione si debitor illi acquiescat, & via ordinaria agere velit, potest eligere alium iudicem, aliumque notarium ad illam causam. Et quando expiret potestas executoris. Vtrum executor cognoscere possit de molestiis post executionem illatis.

SVMMARIVM.

- 1 Consummatis executionibus tertius non auditur si se opponat, sed nouo iudicio debet experiri.
 - 2 Qua sit differentia inter eum qui se opponit ante, & eum qui post consummatas executiones.
 - 3 Post executiones consummatas non potest allegari præuentio.
- Et commissio executoris quando expiret post factam executionem.

- 4 *Et executio dicatur consummata, oportet fuisse factam missionem in possessionem.*
Quibus casibus requiratur traditio possessionis ad hoc ut executio dicatur perfecta.
- 5 *Si controuersia statim post factam missionem in possessionem moueatur, utrum dicatur finita executio.*
- 6 *Utrum Index delegatus retineat suam iurisdictionem si incontinenti post missionem superueniat turbatio? Quid si pendente tempore ad reuocandum pignus. Ibidem.*
- 7 *Quando agitur de facto successu dicitur incontinenti subsecuta turbatio, licet longum tempus intercesserit interuallum.*
- 8 *Factum successuum quando dicatur.*
- 9 *Sententia lata in causa terminorum dicitur continere factum successuum.*
Ex quibus verbis commissionis executor deputatus possit cognoscere de molestiis post executionem illarum. & n. 13. in fine.
- 10 *Ex sententia dupliciter agi potest, uel actione in factum, uel officio iudicis, 1. casu, potest agi coram quocumque iudice, 2. casu, debet agi coram illo qui sententiam protulit.*
- 11 *Perfecta missione contradicitor debet agere contra inmissum via ordinaria.*
- 12 *Ampliatur etiam si causa sit commissa arbitrio Rota.*
- 13 *Perfecta missione si reus illi acquiescat & velit agere iudicio, potest mutare iudicem & notarium.*
- 14 *Inferior quomodo possit cognoscere de gestis per Superiorem.*

NOTANDUM est quod si executiones fuerint consummatae, si tertius se opponat tanquam Dominus, vel tanquam creditor, non potest audiri in causa executiua, sed debet intentare nouum iudicium & agere via ordinaria: si uero se opponat ante pignus additum, & executione nondum consummata, auditur in eadem causa executiua coram eodem iudice, eodem scribente notatio, & causa hoc casu est summaria, per text. in l. a diuo Pio. §. si super rebus, & §. si post additum, ff. de re iudic. ubi dicitur quod de controuersia qua mouetur post venditionem, uel dationem in solutum, non cognoscitur summarie per iudicem exequentem, & per viam executiuam, sed ordinarie per iudicem competentem. † Et sic text. in d. §. si post additum, continet limitationem ad textum in §. si super rebus, qui loquitur quando sit controuersia ante venditionem, vel adiudicationem pignorum; quia per talem oppositionem, vel controuersiam super dominio, vel possessione rei de pignore capta factam, superseditur in executione, & in venditione ac distractione pignorum, si uero post venditionem factam, & subhastationem pignoris consummatam, prout infra num. 4. superueniat oppositio uel controuersia, tunc Index de cuius mandato factae fuerint executiones, non potest de illa oppositione, uel petitione amplius cognoscere tanquam Index executionis, cum sit noua causa nouumque iudicium. † Et per consequens notarius, qui scripsit in causa executionis, non potest allegare præuentionem cum causa illa sit finita, & causa petitionis, uel iudicium reintegranda, quod intentantur aduersus possessorem rei de pignore captae, subhastatae, & liberatae, sit nouum & distinctum, ac omnino separatum iudicium, ut dicit omnes Dd. in d. §. si post additum, & tradit Roland.

conf. sm. 17. vol. 2. Natt. conf. 412. n. 7. & bene explicat Castr. in d. §. si post additum. Vbi dicit quod Index executionis debet respondere, Ego sum functus officio meo. Possibile enim est, quod Index sit competens in executione, non tamen sit competens in iudicio ordinario, & ideo aduendus est ille, qui erit Index competens liberatarij, cui adiudicata sunt pignora, ut dicit Castr. ibid.

Quod ut melius explicetur, supponendum est, quod si concessa fuerit alicui commissio ad exequendum, vis talis commissionis expirat anno. cap. quarenti, & ibi, Abb. & Felin. de offic. iud. deleg. Hoc tamen locum non habet quando executor cepit uti sua facultate intra annum, hoc enim casu perpetuatur eius potestas, donec executio fuerit perfecta, & propterea durat effectus præuentionis, Bart. conf. 139. lib. 1. ubi dicit eum qui commissionem habet pro executione, si ceperit exequi super vna re, & videt adesse difficultatem super tali re, potest variare, & exequi super alia, nec dicitur functus officio donec perfecta fuerit executio, quod probant Rota dec. 2. n. 19. & 20. part. 6. recent. Ideo si exequitur cepit vendere, & non inuenit emptorem, potest dare in solutum, l. a diuo Pio §. si pignora, ff. de re iud. & executione cepta in mobilibus, si illa non sufficiant, potest executor procedere ad venditionem nominum, d. l. a diuo Pio §. in venditione, ut explicat Bart. d. conf. 139.

Sed dubium est quomodo cognosci queat quando executio dicatur consummata, Respondet Mar. Giurb. decis. 64. tunc demum dici executionem consummatam, quando liberatarius adeptus est possessionem bonorum venditorum, nec sufficere quod bona liberata, & adiudicata fuerint plus offerenti, nisi fuerit in effectu tradita possessio, qui hoc multis rationibus, & autoritatibus comprobat, ideo ad eum lectorem remitto: quem etiam sequitur Paul. Bellon. in tract. de iis qua fin. incontin. lib. 1. cap. 107. numero quarto, vers. quod intelligitur. Ratio est, quia ante traditionem alienatio non est perfecta, nec dominium transfertur, etiam post latam sententiam, nisi interuenerit sententiae executio per traditionem realem, ut ibidem fusiùs Giurba comprobat. Quod enim dicitur litem finiri per sententiam, debet intelligi de sententia executioni demandata, Mohed. dec. 3. ut lit. pendens. num. 3. Achill. dec. 1. ut lit. pend. ubi quod lis non finitur per sententiam, nisi etiam possessio sit tradita, Rota dec. 693. n. 3. part. 2. recent. Limitantur supradicta, ut locum quidem habeant quando lis est introducta contra possessorem, & contra illum lata fuit sententia; alioquin si sententia fuerit lata in fauorem possessoris, & in rem iudicatam transacta, non est opus aliqua executione, & statim lis & præuentione finita est: Verall. dec. 172. n. 6. part. 2. An autem sufficiat possessio facta per traditionem tubæ vel calami? vidend. Guid. Pap. dec. 22. & 81.

Attamen Muta in dec. Sicil. 11. n. 21. & 22. (licet in alio casu) difficultatem excitare videtur, utrum videlicet si ab eo cui bona in solutum data fuere, statim auferantur, ita quod traditio non fuerit plenum sortita effectum, sed tantum momento, vel modico tempore durauerit, tali casu dicatur effectus traditionis consummatus? Et Respondet non esse consummatum, quia bona tradita non fuerint irrevocabiler, sed decisio illa Muta loquitur ad effectum extinguendi hypothecas per dationem in solutum, qui non est casus noster.

Dicendum ergo est 1. quod si incontinenti facta executione, liberatarius, aut is cui res, uel possessio adiu

adiudicata fuit, turbetur, aut molestetur ab ipso met adversario, contra quem facta fuit missio in possessionem, aut alia executio, hoc casu quia res non fuit perfectè tradita, iudex siue ordinarius siue delegatus potest continuare causam suam, & in ea procedere donec possessio perfectè fuerit quasita, secus si molestia vel turbatio contingat aliquo tempore post quasitam possessionem, tunc enim actio ista nona debet intentari coram iudice ordinario competenti, veluti si agatur de iudice, qui non habet iurisdictionem nisi in causis executivis vigore submisionum & obligationum in formam instrumenti publici reductarum: sane iudex iste perfectà executione amplius adendus non est nisi molestia illicò, & incontinenti contingeret, per text. in cap. *quarenti* 26. de officio deleg. & tradunt Imol. Castrenf. Roman. Alex. & alij in l. penult. §. species, ff. de acqu. possess. sequitur Tiraquell. ad l. si unquam, Cod. de revocand. donat. verb. suscepit liberos, num. 183. & 184. ¶ ubi id procedere asserit tam in iudice ordinario quam in delegato, Garl. de Benefic. part. 6. c. 2. num. 155. Pendente vero tempore ad relucendum pignus, debitori ex consuetudine dari solito; non dicitur executio consummata, cum nec irrevocabiliter facta sit liberatio, nec missio in possessionem, nec ante tempus illud solvatur, aut debeat laudimium Domino directo: ad tradita per Giurb. d. decis. 64. num. 5. Rota Aven. decis. 134. n. 1. Burg. de Laudem. p. 2. cap. 45. num. 135. & 41.

7 Eodemque modo si agatur de sententia continente aliquod factum successuum, licet iudex iam semel suam sententiam executioni demandasset, si tamen reus condemnatus moveret controuersiam aduersus eum, qui talem sententiam obtinuit, remaneret adhuc eidem iudici potestas exequendi vigore primi iudicii, cum executio nondum sit plenè facta quandiu ille qui sententiam pro se reportauit, turbatur in facto successuum contento in sententia, vt tradunt Alex. & alij in d. l. permisceri. penult. §. species, ff. de acqu. possess. ¶ ubi Additio dat exemplum in sententia, qua quis condemnatus fuit ad rem restituendam, hoc additò, quod condemnatus actorem in futurum turbare, aut molestare non possit in illa re, si enim in futurum molesteret, poterit idem iudex in vim sententiae impedire tales molestias, vt dicunt Dd. in d. §. species. Et ratio est, quia ubi turbatio est successiva, dicitur quis facere incontinenti, licet faciat post decennium, Paul. Bellon. tract. de iis qui sunt incontin. lib. 1. cap. 6.

9 Aliud exemplum asseri potest si agatur de sententia lata in materia terminorum, quia etiam semel positis limitibus, si postea amoveantur, poterit peti denudò eiusdem sententiae executio contra nouiter turbantes, etiam si sint vicini postea nati in populo condemnato, cum sit idem concilium, licet personarum diuersa, Rot. dec. 1. n. 23. & seq. p. 7. Recent, post Capyc. Auen. & Put. ibid. allegatos. Ad confirmationem huius limitationis faciunt tradita per Rot. decis. 21. n. 8. & 9. par. 7. recent.

Insuper aduertendum est, consideranda esse verba commissionis: si enim alicui datur facultas, vt ubi & quando expedierit, & requisitis a parte fuerit, commissionem in literis contentam exequi faciat, & inuolabiliter obseruari, contradictores per censuras Ecclesiasticas compescendo, tunc censetur executor non solum quoad primam literarum executionem, sed etiam si postea superueniant molestiae, & sic ex prima executione, non dicitur functus officio suo, quia executio non fuit perfecta, Rota decis. 265. n. 13. & seq. p. 7. recent.

Qua in re aduertendum est, circa modum agendi duplici enim modo agi potest vigore sententiae in iudicatum transacta. Aut enim agitur actione in factum quae ex sententia oritur, aut officio iudicis: si actione in factum, illa potest intentari coram quocumque iudice competenti, etiam si is sententiam non protulerit: si verò officio iudicis, idem iudex qui tulit sententiam, & per consequens idem notarius adendus est, Bart. in d. l. a diuo Pio. 15. §. sententiam Romae, n. 2. ff. de re iudic. l. si ibid. n. 4. & 5. Scacc. de Appellat. q. 1. n. 165. restrict. 2. Franc. in cap. Romana. §. fin. sub n. 2. de Appellat. in 6. Salgad. de Reg. protect. p. 4. cap. 2. n. 39.

Ex supradictis etiam inferitur, quod si quis fuerit missus in possessionem vigore l. final. Cod. de Edict. D. Adr. toll. aut aliis remediis possessoris, vel executiuus & perfectà missione, compareat aliquis legitimus alioquin contradictor, non est audiendus in hoc iudicio summario & executiuo; sed immixtus absolendus est ab obseruatione iudicii, salvo iure agendi alio eoque ordinario iudicio, vt bene comprobatur D. Argel. in tract. de Legit. contradict. qu. 2. arr. 3. num. 123. ¶ quod ampliat num. 143. Etiam si causa commissa fuisset cum clausula Arbitrio Rota, cum arbitrium illud debeat esse regulatum, & per consequens in illo iudicio summario non possit reuocari immixtio iam ante commissionem consummata. Idem dicendum est in beneficialibus in quibus potestas executoris expirat post factam missionem in possessionem, & tunc nouo iudicio agendum est coram ordinario, Garl. de ben. p. 6. c. 2. num. 145. usque ad 155. Vbi dicit, quod quamuis data fuerit possessio beneficij, illi, quisuit prouisus per executores literarum prouisionis, non ideo cessat eius autoritas nec iurisdicção, & per consequens eadem est causa & continuatio iudicii praesentis, donec immixtus fructus perceperit, ex Cardini. in Clement. si plures, n. 2. de praebend. praesertim si in commissione adsit illa clausula, quod inducant in possessionem, & inducto faciant de fructibus responderi, vt ibidem per Garl. n. 149. Sed post adeptam pacificam possessionem expirat potestas, & iurisdicção Delegati, eiusque praesentio non potest dare impedimentum iurisdictioni Ordinarij, vel alterius iudicis competentis, cum ista sit noua causa, nisi tamen turbatio oriretur incontinenti post factam missionem in possessionem; vt ibidem probatur Garl. num. 154. & 155.

Inferitur etiam quod si is aduersus quem facta fuit manutentio vel immixtio, dicat manutento, vel immixtio, Ego consentio, & acquiesco tuae immixtioni, vel manutentioni in possessorio; sed dico me habere bonum ius in petitorio, vel in aliquo possessorio plenario: tunc quia iudex immixtionis, vel manutentionis functus est officio, & non controuertitur de eadem causa, sed nouum iudicium intentatur, potest hoc fieri per actionem separatam, & in iudicio ac tribunali diuerso; ex traditis per Dd. in d. §. si post additum. Garl. Argel. & alios supra citatos, & praxis ista bene probatur per text. in l. a diuo Pio. 15. §. si post additum, ff. de re iudic. ubi Castrenf. id optime & practice explicat, & videnda sunt ea, quae dicemus infra cap. 24. ubi hac materia declaratur.

Obiicies quod hac ratione contingeret absurdum, nempe quod si executio fuisset facta auctoritate maioris Tribunalis; alius iudex aditus, si esset inferior, cognosceret de validitate processuum factarum per Superiorem, quod admitti non debet.

B 3 Responsi

Respondetur distinguendum esse, vtrum Superior procedat per viam iuris, velut in rescriptis iustitiæ & similibus, aut per viam gratiæ velut in privilegiis, & aliis rescriptis gratiosis. Primo casu index inferior cognoscere potest de iis, quæ per superiorem facta sunt, *cap. super litteris* 20. ibi, *de precum qualitate cognoscat. de Rescript. & ibid. Dec. num. 12. Felin. num. 18. & alij.* Nisi tamen superior iam plenè de tali articulo cognouisset, Gabriel. *conf. 182. num. 12. vol. 2.* In rescriptis verò gratiæ obseruanda est resolutio tradita per Barbof. *in cap. cum venissent* 12. num. 3. & 4. *de Indic.* Videlicet quod si agatur de generali quadam interpretatione dubiæ voluntatis, quæ alia ratione fieri nequeat quam per interpretationem eiusdem superioris ore declarandam; tunc inferior nullam habeat cognoscendi de ea facultatem, sed si agatur de explicatione doctrinali, illa fieri possit per Doctores, Prælatos, aut alios Iudices competentes, nec opus sit recurrere ad Superiores, vt *ibid.* Barbof. probat. Sed quocumque casu, siue agatur de rescriptis gratiæ, siue iustitiæ dum non reuocatur in dubium potestas superioris, nec agitur de interpretanda illius voluntate, sed agitur de aliquo defectu, nullitate, vel alia simili oppositione respiciente partem directè, superiore verò tantum indirectè, tunc index inferior cognoscere potest, vt tradit Gabriel. *d. conf. 182. num. 15.* quia tunc nullum sit præiudicium superiori, nec eius iurisdictioni, & potest inferior declarare vtrum obstat, vel non obstat actori, vel reo privilegium, executio, vel decretum superioris: Innoc. & Hostiens. *in d. cap. cum venissent. de indic.* vbi benè explicant.



CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

Per renunciationem litis, & instantiæ, cessare præuentionem: qua de re copiosus agitur infra c. 30. Vbi ostenditur quæ sit vis horum terminorum, litis, causæ, & instantiæ. Renunciare liti quando quis possit, & an teneatur soluere expensas sic renuncians. Quid sit renūciare liti, quid instantiæ. Et an in præiudicium iudicis, vel notarij qui præuenit, renūciari possit instantiæ, saluo iure rectius agendi. Appellans vtrum inuito appellato renunciare possit suæ appellationi. Commissio vtrum expiret appellatione deserta.

SVMMARIVM.

- 1 Renunciare liti quilibet potest solutis expensis.
- 2 Limita nisi noua superueniente causa.
- 3 Actor non potest inuito reo soli instantiæ renunciare nisi propter actionem malè propositam.
- 4 Actor quandocumque renuncians soli instantiæ tenetur soluere expensas.
- 5 Renuncians liti amplius non auditur agere volens.
- 6 Renuncians soli instantiæ iterum agere potest solutis expensis.
- 7 Soli instantiæ renunciari non potest in præiudicium partis.

- 8 Statutur iuramento partis vtrum interesse habeat in renunciatione instantiæ.
 - 9 Renunciatio instantiæ saluo iure rectius agendi, an fieri possit in præiudicium iudicis vel notarij.
 - 10 Ante litem contestatam renunciari potest soli instantiæ, solutis expensis.
 - 11 Qui semel litem contestatus est in illa ad finem vsque perseuerare.
 - 12 Index post litem contestationem efficitur Dominus causa.
 - 13 Renunciatio solius instantiæ admittitur si tempestinè fiat arbitrio iudicis, sin minus reicitur.
 - 14 Interesse casuale & quod se habet ad esse & non esse, non est in consideratione.
- Appellans vtrum renunciare possit appellationi inuito appellato. Præuentionem vtrum finiatur per desertionem appellationis.

ITEM pendente potest Actor, vel Reus illi renunciare, solutis expensis: *l. postquam liti, & ibi Dd. Cod. de Pact. Grat. discept. forens. cap. 118. n. 52.* quas tamen expensas, renuncians liti, reficere non tenetur si superueniat causa de nouo, per text. *in leg. desitisse, in fin. ff. de Iudic.* Gratian. *discept. 572. num. 18.*

Instantiæ tamen renunciari non potest nisi consentiente reo, sed si reus non consentiat, ita demum renunciari poterit quando index videt actorem malè suam actionem proposuisse, aut in processu adesse aliam nullitatem, sed si processus sit validus non potest actor soli instantiæ inuito reo renunciare, *Auth. qui semel, Cod. quomod. & quand. ludi. §.* Sed in omnibus casibus in quibus permessa est renunciatio instantiæ inuito aduersario renuncians tenetur soluere litis expensas, Bald. *in l. quamuis, & in l. sed si hac, ff. de in ius vocand. Galerat. de renunciat. Centur. 2. cap. 156. maxime n. 7.*

Differunt autem renunciare Liti, & renūciare Instantiæ: quia qui renūciat liti non auditur ulterius volens repetere actionem, *d. l. postquam liti, Cod. de pact. §.* qui verò renūciat instantiæ, reseruat sibi ius agendi, & iterum agere potest, solutis tamen prius expensis, *Præf. Papien. in forma libelli quo agitur vt pacta seruentur. verb. pacta, n. 13. Galerat. d. cap. 156. num. 8.*

Quo sic præsupposito, dubitatur vtrum actor possit desistere à lite inchoata & renunciare instantiæ, salua sibi facultate melius agendi in præiudicium iudicis, vel notarij, apud quos causa fuit introducta? Quod dubium restringendum est ad causas ordinarias: nam in executiuis licita est variatio de remedio ad remedium, & de indice ad iudicem: *infra cap. 10. num. 18.* Igitur

Distinguendum est, aut enim agitur de renunciatione in præiudicium partis, aut in præiudicium curiæ. Primo casu, certum est non posse fieri talem renunciationem quando vertitur interessè parti, veluti si fuisset facta reconuentio, vel producti testes, & processus instructus, aut alio modo tractetur de interessè collitigantis, Galerat. *d. c. 156. n. 5.* vbi dicit quod vtrum intersit, vel non, collitigantis, probatur ipsius iuramento, eandemque conclusionem firmat Cancer. *lib. 3. var. resol. c. 15. n. 183.*

Si vero agatur de interessè iudicis, vel notarij, quamuis Cancer, *loco cit.* existimauerit hoc interessè tanquam secundarium, & minus principale non esse attendendum. *Moner.* tamen contrarium verius esse existimauit, videlicet renunciationem instantiæ